

Nun M. Gerlach Briesen d. 10 Februar 1806.

17

DE
SPASMORVM EXTERNORVM
RATIONE AD VISCERA INDEQVE
ORIVNDA MORBORVM COMPLICATIONE.

P R A E S I D E

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

D O M I N O

D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO

MED. ANAT. ET CHIRVRG. P. P. ORDINAR. ACADEM. CAESAR. NAT.

CVRIOS. ITEMQUE IMPERIAL. PETROPOL. NEC NON REGIAR. BEROL.

SCIENT. ET PARIS. CHIRVRGOR. SODALI

PATRONO FAVTORE ET PRAECEPTORE

OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDO

P R O

G R A D V D O C T O R I S

SOLLEMNITER CONSEQVENDO

DIE XX. IVLII C^o I^o CC LXII.

H. L. Q. S.

PVBLICE DISSERET

A V C T O R

IOANNES ZACHARIAS STRÜMPHLER

TANGERVNDA PALAEOMARCHICVS.

HALAE AD SALAM

S T A N N O S C H N E I D E R I A N O.



DISSE^TAT^O IN AVGVRALIS MEDICA

DE

SPASMORVM EXTERNORVM
RATIONE AD VISCERA INDEQVE
ORIVNDA MORBORVM COMPLICATIONE.

PRO O E M I V M .

Si quis alias morbus frequentia et atrocitate inter homines innotuit: id sine dubio quam maxime dici poterit de spasmo. Testatur id experientia, probat scriptorum de morbo eodem multitudo. Sicuti enim aliis in casibus vitae humanae acerbis fieri solet, ut necessitate quasi adacti impellamur, ad mali, nobis saepius obuii, origines diligentius explorandas, ut, quae eidem praecauendo abstergendaque sufficerent remedia, eo certius inueniantur: ita neque medici hac in re studium suum desiderari voluerunt; vt pote quorum ars ad vitae humanae felicitatem haud parum conferre videtur. Etsi vero de spasmodorum doctrina satis iam a medicis disputatum esse videtur: nihilo tamen minus plura adhuc restare videntur, quae ad idem argumentum pertinent, accuratiori examini submittenda. Nam hic quaedam occur- runt supplenda, quae deficiunt; corrigenda at-

A

que

PROOEMIVM.

que accuratius enuntianda, quae erronea, neque
rite determinata esse videntur. Atque hoc im-
primis de spasmorum extenorum ratione ad
viscera, eaque morborum complicatione, quae
inde oriri possit, disputaturo agendum erit. Tam
prauos enim effectus in visceribus magis produ-
ci a spasmos internis, et vix tanti momenti esse
posse spasmos externos, communis fere est senti-
tentia. Ut de modo, quo generatim tanti effec-
tus spasmorum producantur, hic nihil dicam,
quem vulgo obseruationibus parum contuenient
sibi concipere solent. Quare iam cogitanti
mihi de argumento seligendo, quod speciminis
inauguralis loco disputari posset, operaे pretium
fore iudicauit, si distincta ratione euoluerem, quo-
modo se nimirum spasmī externi ad viscera habeant,
quos in iisdem effectus producere val-
leant, tandemque quibus morborum complica-
tionibus ansam praebere possint. Neque inutile,
neque pertritum hoc iam puto esse argumentum.
Sed ut idem etiam pro dignitate sua nunc pertra-
etetur: dabo operam, ut, stabilitis antea princi-
piis quibusdam, reliqua inde modo rationi con-
gruo deducantur, nihilque ibidem admittatur,
quod obseruationibus repugnare possit; singulis
in tractatione ista propositionibus ordine conue-
niente exhibendis.

PARS

PARS ARGVMENTI THEORETICA.

§. I.

Fibrae musculares corporis humani, quibus nervi continuo ^{Spasmi de-}
intertexti esse deprehenduntur, facultate possent sese con-
contrahendi; id praeципiente Physiologia. Vt iam ab harum
fibrarum contractione peculiares partium corporis humani fun-
ctiones dependent: ita etiam necesse erit, vt ista contractio in
statu sanitatis ad determinatum quendam gradum contingat, quo
vel superato, vel imminuto, nunquam fieri poterit, vt functio-
nes sanitatis conuenienter perficiantur. Inerunt tunc corpori
humano mutationes, a statu sanitatis alienae, inerit adeoque
morbus. ^{ad} Huius etiam loci erit annotare, quod multae fibra-
rum contractions sequuntur animae arbitrium; exemplo mo-
tuum voluntariorum, ad quos perficiendos opus erit actione
muscularum, quam fibrarum, ex quibus illi componuntur, con-
tractione absolu*ta*. ^{ad} Physiologia communistrat. Neminem vero
fors existimo, qui eiusmodi fibrarum contractions voluntarias
auit ad morbos referre, sed easdem ibi semper referet, vbi
deprehendi poterit, illas non amplius subesse arbitrio animae.
Quibus itaque praemissis, nunc iam via patebit, ad inuenien-
dam spasmi notionem. Erit nimurum spasmus contractio
fibrae involuntaria vel maior, vel plus perdurans, quam cum
sanitate congruit.

Quantopere haec definitio cum vsu loquendi conueniat: id tibi iam perspicue intelligere licebit, simulatque omnes illos casus collegaris, vbi spasmī vocabulo uti solent medici. Neque eiusmodi quid hoc loco praeteriusum esse arbitror. Ad notiones porro fere communes in Pathologia haec quoque pertinebit, quando scilicet ex eo, quod antea voluntarie fieri solebat in corpore humano, nunc vero inuoluntarie sit, morbi praesentiam conicimus. Cuius momenti rationem omnino habendam esse putauim in definitione spasmī. Quod tandem ad definitionis realitatem attinet: de illa nullum esse dubium poterit, quam satis firma fundamenta sint, quibus ipsa notio innititur.

§. II.

Anatome testatur, dari partes texturae muscularis in corpore humano, quas modo ad internas, modo ad externas reducere licebit. Ad partes internas huius indolis exempli loco pertinent oesophagus, ventriculus, intestina, et plures aliae, quas intra peculiares cavitates asseruare voluit natura. Partium vero externarum similis conditionis numerum hic exempli causa subeunt musculi, exterius ad peripheriam corporis collocati. Vtrumque vero hoc partium genus spasmī compos erit (*§. anteced.*). Spasmus adeoque **externus** vocari poterit, qui in partibus externis oboritur; ad differentiam **spasmī interni**, vrpote referendi ad partes internas.

Spasmī itaque interni exempla suppeditare poterunt colica spasmatica, cardialgia, spasmus gulæ, et alia huius

Quid spasmus externus sit.

AD VISCERA INDEQVE ORIVNDA MORBORVM ETC. §

iūs genii. Ad spafinos vero externos exempli cauſſa
referri poterunt pleuritis spuria, chiragra, gonagra, po-
dagra, spafinus periphericus, et id genus plura.

§. III.

Quoties tibi concipis fieri, vt in parte aliqua texturae muscularis vna fibra in illo puncto, vbi cum alia cohaeret, extendatur; vel fibrarum muscularium vna sit rigidior altera: toties etiam necesse erit, vt spafinus suboriatur. Per ipsam enim naturam corporis texti necesse est, vt illud extensum ad sui latitudinem se contrahat secundum longitudinem suam; atque in vicem versam, illius extensionem iuxta sui longitudinem factam, insequatur contractio ad latitudinis suae directionem. Sed omnes partes musculares corporis humani tibi iam concipere licebit instar corporis cuiusdam texti; qua de re certissime testatur Anatome. Hinc etiam certum erit, quod partis alicuius muscularis fibris quibusdam in puncto cohaefionis cum aliis nimium extensis, fibrae aliae nimium contrahantur, atque in ista contractione tamdiu perseverent, quamdui continuatura sit fibrarum aliarum extensio. Sed quis non videt, quod tunc spafinus producatur (§. I.). Quum etiam in fibra alia rigidiore longe maior partium elementarium, ex quibus illa componitur, cohaesio obtineat,

Ottus spa-
fini quomo-
do concil-
piendus?

6 DE SPASMORVM EXTERNORVM RATIONE

quam si fibra nullam adhuc contraxerit rigiditatem: consequens erit, fibram rigidam in arctius spatiū coactam esse, atque aliam, quae nondum rigida facta est, extendi debere; idque pro differente gradu huius rigiditatis. Quare ob extensionem fibrarum quarundam hic necessariam, aliae contrahantur oportebit (per anteced.), vel iam spasmus suboriantur (§. I.). Satis adeoque appetet propositionis veritas.

Quamuis mihi adeo perspicua esse videantur principia, prolata ad demonstrandam propositionem, quae exstat in §.: non a re tamen alienum erit, quedam adhuc addere, ut occasio dubitandi illis praescindatur, qui tam praecepites in iudicando solent esse, tamque proni ad arguendos alios erroris cuiusdam commissi. Ex notione quidem corporis texti, sed applicata ad partes muscularares, deducas esse volui extensionis et contractionis affectiones. Hinc simul suppono flexibiliteram partium musculosarum; utpote quam nemo negabit. Quod ideo monendum erat, ne quis forte texturam in ossibus sibi concipiatur, reliqua inde simili modo deducere conatus. Neminem taedium fore existimo, qui de eo dubitet, quod partibus muscularibus vera competat textura. Ad hanc enim nihil aliud requiritur, quam ut in corpore quodam partes ita inter se cohærent, ut sibi continuo inflexae se inuicem decuscent, carundemque superficies se contingentes semper alternent. Sed eiusmodi quid in partibus muscularibus locum habere, ad oculum monstrat Anatomia; decenter separatis a se inuicem fibris transversalibus et longitudinalibus.

§. IV.

§. IV.

Constabit ergo ex §. anteced. qua nimirum ratione causa spasmī proxima concipienda sit.

Consepta
rium.

§. V.

In Pathologicis eiusdem datur, subortis stasibus in vasis Aliud. minimis, fibris muscularibus intertextis, suboriri quoque posse fibrarum, in partibus quibusdam inter se cohaerentium, extensionem. Ibidemque simul perspicue traditur, a quibus causis eiusmodi stases aequae, ac fibrarum rigiditas dependeant. Tales igitur caussae spasmorum erunt remotae. Docentibus adeoque observationibus, hic casus varii pertinebunt, quibus subiecti solent corpora humana. Plethora nimirum, spissitudo humorum, illorumque depravata mixtio, siue cacochymia. Excretionum perturbationes variae, siue ad illarum defectus, siue ad augmenta nimia referendae. Validae humorum ebullitiones et congestiones, siue a pathemaribus animi, siue a causis aliis productae. Graues quaedam compressiones et extensiones partium, modo ab hac, modo ab illa caussa in casibus obuiis proficiscentes. Partium prae reliquis sensibili solutiones, ut vulnera, ulceræ. Vasorum, viscerum distensiones, obstructiones, ut infarctus, scirrhi. Frequentes arsenicalium ad corpus admissiones. Certi tandem effectus, vim harum caussarum habentes, magis vero proprii vel certae cuidam aerati (atque haec pro-

8 DE SPASMORVM EXTERNORVM RATIONE

prouectior esse solet), vel sexui cuidam certo (quorsum sequior pertinebit).

§. VI.

Scholion
generale.

Nihil iam illorum, quod alicuius ponderis foret, ratione caussarum remotarum spasmī, praetermissum esse arbitror, ita, vt, si etiam quaedam in §. anteced. deficere videantur, retamen penitus perpensa, reduci possint ad unum vel alterum momentum, ibidem commemoratum. Sed id adhuc restabit, hic quoque annotandum. Solet nimurum plerumque fieri, vt ad spasmum in uno vel altero, qui ab eodem corripitur, aegro, determinandum, plures harum caussarum simul accedant. Unde rite applicaturum theoriam ad casus oportebit, signa caussarum morbi sollicitate colligere, vel etiam illas, si imprimis externae fuerint, ex varietate admissorum ad corpus aegrotantis intellecta, inuenire. Nam vti haec annotatio maximi momenti per viuversam fore Pathologiam est: sic praesertim in spasmorum doctrina; prout id ex pluribus locis infra dicendorum luculentius constabit.

§. VII.

An in spa-
fimo dolor?

Loca, a spasio affecta, dolere debent; idque multo acerbius, quo magis partes afflictae prae aliis sensibilitate eminent, vel caussae

caussae morbi grauitate, aut numero incre-

scunt. Caussa enim spasm proxima sine fibrarum muscularium extensione existere nequit (§. IV.), qua efficitur, vt, sic quasi distractis fibris, in suis punctis cohaerentibus, illarum continuum solui attentetur. Quum vero partibus muscularibus non desint nervi (§. I.): patet, attentari hic solutionem continui nervos, hinc etiam dolorem produci (per princip. Pathol.). Sed partes admodum sensiles prae aliis nervis abundant; id ostendente Anatomia. Partibus adeoque a spasmo affectis, quae alias sensibilitate superare videntur, continuum magis nerveum solui attentatur. Consequenter etiam necesse erit, vt ibi concitatus dolor majoris gradus sit. Quia tandem conditiones caussarum, non alii, quam qui illis exacte respondent, effectus sequuntur: necesse igitur erit, vt sub accessionibus caussarum doloris aut grauiorum, aut plurium, dolor quoque acerbior fiat. Nullum idcirco dubium erit de propositionis veritate.

Multis casibus id quoque probat experientia. Gonagra, podagra, aut alio affectu arthritico afflitti, multo acerbiores dolores patiuntur, quam qui ex spastico humeri, aut alio rheumate aegrotant. Hemicraniae obnoxii maiores doloris molestias preferre coguntur, quam illi, quibus lumbago, aut alius affectus rheumaticus oboritur. Perro. Quando in arthritico humorum modo spissitudo obsernatur, dolor eius quidem grauis erit, sed longe acerbior fier, concurrente cacoecymia; cuius signa satis certa purpura scorbutica prodet.

§. VIII.

Confecta-
riuum.

Spasmiss ergo non deerunt symptomata doloris; eaque tam varia, quam grauia (§. anteced.); pro ratione nimirum locorum affectorum, caussarumque ad morbum concurrentium.

Haec doloris symptomata, tamquam satis cognita ex Pathologicis, hic suppono; illorum tamen quaedam infra enarraturus, quantum nempe cum fine meo conuenier.

§. IX.

An a spa-
smis con-
gestiones?

A spasmissis congestiones humorum ad loca alia corporis humani, eaque ab illis diuersa, quae nunc a spasmio afficiuntur, produci possunt. Vbi enim spasmus obtinet, ibi fibrae musculares nimium contrahuntur (§. I). Quare necesse erit, ut etiam vasa a spasmio simul afficiantur, intertexta illis partibus muscularibus, quae a spasmio torquentur. Sed facta vasorum constrictione, fieri neutiquam poterit, ut fluidum per illa expedite transeat; quo igitur necessario efficitur, ut illud ad vasa alia cogatur, eidem minus resistentia, et quidem ideo, quia adhuc a spasmio liberae sunt (per princip. Patholog.). Quibus adeoque in locis fluidum coaceruari, siue in partibus aliis, spasmio nondum obnoxiiis, atque ideo ab illis, quae iam spasmio obtem-

AD VISCERA INDEQVE ORIVNDA MORBORVM ETC. II

obtemperant, diversis, congestiones humorum fieri oportebit
(per princip. Patholog.).

Ex eo, quod aliae partes, a spasticis remotae, tur-
gere obseruentur, tuto colligere licebit ad humorum
congestiones ibidem factas. Atque ita haec quoque
propositio cum experientia congruit.

§. X.

Spasmis ergo subortis, congestionum ^{confecta-}
^{rium.} effectus in corpore humano erunt necessarii;
iique modo praesentes, modo futuri, modo
praeteriti (§. anteced.).

§. XI.

Quot iam, quam varii, quantique saepius morbi a con- ^{Scholion}
^{generale.} gestionibus origines suas ducere soleant, Pathologi copiose de-
monstrant, ad idem recte perficiendum obseruationibus inducti.
Exstabunt hic quoque doctrinae huius specimenia quaedam.
Nunc enim, praemissis iam principiis quibusdam generaliori-
bus, ostendendum erit in specie de spasmis externis, qua in ra-
tione illi ad viscera futuri sint, ideoque praebituri ansam ortui
morborum complicatorum. Nam haec est argumenti, impre-
sentiarum disputandi, conditio. Antequam vero id exordiar,
dicendum prius esse videtur de caussis spasimorum externorum.
Quaecunque etiam de hoc arguento verbosius proferri pos-

12 DE SPASMORVM EXTERNORVM RATIONE

sent, ea omnia redibunt ad §§. IV et V; hac tamen conditio-
ne, vt caussae spasmorum, ibidem enarratae, simulatque ad cor-
pus admittantur, vel partes externas magis contingent; vel gra-
du increscant in partibus internis, vt ex locis interioribus ad
exteriora necessario transire debeat spasmus; vel in partibus ex-
ternis, ob harum morbos praecedentes, tanta remanserit disponi-
tio, vt a spastmo facile corripiantur, accidentibus quibuscum-
que caussis, ad hoc morbi genus producendum, idoneis.
Maxime haec conueniunt cum observationum fide. Ut ideo
michi nunc quoque videoas satis dixisse de caussis spasmorum
externorum.

§. XII.

Spasmi ex-
terni effe-
ctus ratione
transpirat.

Spasmi externi impediunt transpiratio-

nem. Ad transpirationem enim inter alia requiritur, vt ori-
ficia vasorum capillarium, cutim adeuntium, sint patula, quo
serum excrementitum continuo exhalare possit (per princip.
Physiolog.). Verum enim vero hoc contingere nequit, subor-
tis spasmis externis; vt pote qui loca corporis externa occupant
(§. II.), transpirationis quidem capacia, sed nunc iam ita
affecta, vt, constrictis ibidem orificiis vasculorum exhalantium,
via praecludatur sero excernendo. Quare tunc etiam impedi-
ta sit transpiratio, oportebit.

§. XIII.



§. XIII.

Fieri adeoque poterit, vt a spasmis externis morbi impeditae transpirationis producantur (§. anteced.).

§. XIV.

Si etiam tempore spasmī externi ad fuerint exanthemata: illa tunc quoque ad loca interiora corporis regredi, atque inde pessimi effectus oriri poterunt (§. anteced.).

§. XV.

Porro. Quo grauiores, quo magis universalis erunt spasmī externi: eo maioris quoque momenti erunt illa transpirationis impedimenta, morbique ideo metuendi (§§. XIII et XIV.) citius producantur, oportebit.

§. XVI.

Quare, grauiter conuulsis partibus externis, aut spasmo peripherico vltra modum saeuiente, id malorum genus in corpore hu-

mano praeprimis extimescendum erit (§. anteced.)

§. XVII.

Spasmini ex-
terni quo-
rum conge-
rant fluida.

Spasmiss externis obortis, oboriri poterunt congestiones humorum ad loca interiora corporis humani. Ita enim in genere cum spasmin comparatum est, ut inde ad loca a spasticis distincta et remota humores congerantur (§. IX). Atque hoc imprimis ibi contingere solet, ubi vasa, ad quae fluida coguntur, eidem minus resistunt; id docente demonstratione §. modo citati. Sed, commonstrante id Anatomia, huius iam conditionis vasa sunt locorum interiorum corporis humani, ut tenuiorem sui texturam exhibere, atque ideo fluidis minus resistere posse videantur; exemplo vasorum in meningibus, in visceribus aliis, tunicas fias deponentium. Ut de vasorum in partibus internis tam frequenti, tamque implicata anastomosis hic nihil dicatur; quippe quae, dum tardiori motui fluidorum admodum responder, caussa simili fit, cur humores, ibidem confluentes, tam facile coaceruari possint. Ex quibus igitur manifesto patebit, quantopere spasmi externi valeant, ad producendas in locis interioribus congestiones humorum.

§. XVIII.

§. XVIII.

Si igitur variii generis morbi in visceribus a congestionibus humorum ibidem factis, produci possent: constabit iam, quod hic non ultimum locum sibi vindicaturi sint spasmī externi (§. anteced.).

Confectarium.

§. XIX.

Ibi etiam maiora spasmorum externorum efficacia erit in morbis viscerum producendis (§. anteced.): ubi contumaciores illi fuerint.

Aliud.

§. XX.

Passim cum his iterum consentiunt observationes. Corpus humanum, frigori expositum, obrigesit; actutum in sequente transpirationis suppressione. Quia vero a frigore habitus externus corporis nostri constringitur: nemo non videt, casum istum illi aequipollere, ubi spasmī externi alio producuntur modo. Superficiem partium externalium eo magis siccant atque aridam deprehendi, quo vehementius illae a spasmis vexantur, sed humido quasi irrorauit, vchementia spasmī remissa, constans fere est obseruatio. Quotiescumque iam contigit,

vt,



16 DE SPASMORVM EXTERNORVM RATIONE

vt, vel frigore admisso, vel conuulsione superueniente, purpura aut perechia subito euanescent; idque cum vitae aegrorum interit! Saepe etiam fit, vt arthritici, malo imprimis exacerbato, de sensu quodam ponderis molesto, mox in abdomine, mox in thorace, mox in capite conquerantur, neque raro vulturum habeant turgidum; satis manifesto documento, quod fluida ad corporis loca interiora congerantur. Similis efficaciae hic tandem est spasmus periphericus. Testantur id clare phaenomena febris ingruentis. Quam varii vero congestionum effigies tunc in locis interioribus a spasmo peripherico producantur: id ex instituto explicauit vir excell. atque exper. D. D. NIETZKI, praeceptor de me optime meritus, in dissert. inaug. de *febribus complicatis in genere b. l.* conferranda. Tametsi iam ex haec haetenus disputatis apparet, quam in genere habere possint rationem ad viscera spasmni extermi: instituto tamen praesenti magis satisfacturus, ea nunc tradere conabor, vnde etiam de speciebus morborum constet, quibus viscera parent, praesentibus spasmis externis. Sic enim facili ratione cognoscere licebit illam morborum complicacionem, quae in casu isto obtinere potest.

§. XXI.

A spasmis
externis
producun-
tur interni.

Spasmis externi internos efficere pot-
erunt. A spasmis enim externis humorum congestiones
versus

AD VIŞCERA INDEQVE ORIVNDA MORBORVM ETC. 17

versus loca interiora producuntur (§. XVII.). Sed ex Pathologis in genere constat, a congestionibus versus partem aliquam, spasmī compotem, factis, in illa quoque concitari posse spasmum. Quia igitur simile quid in partibus quibusdam internis, spastino concipiendo accommodatis, eueniat, non est, cur dubites? Ut de transpiratione, a spasmis externis impedita (§. XH.), hic nihil afferatur. Nam tum fieri regressiones fiunt ad loca corporis interiora, in quibus ideo spasmī saepe atrocissimi concitari solent; exemplo colicæ spasmoticae, aut tussis conuulsuæ, refrigerationem corporis haud raro insequentium. Vnde iam satis certam esse arbitror propositionem.

Complures hic proferri possent casus, ex quibus ad sensus quasi pataret, quantum cum obseruatī consternatī propositio; nisi de eius veritate iam ex dictis abunde constaret. Ratione tamen principii obuii in demonstratione propositionis, quaedam dicenda esse vindicantur, maioris claritatis caussa. A congestionē nido mirum facta in parte aliqua musculari, tamquam spasmī compote, huius ortus deriuatur. Fieri id ob statim in minimis vasis, ab hac caussa ibidem productas, docet Pathologia; vt id iam dictum erat in §. V. Quantopere autem congestio in parte, ad spasmum capace, hunc quoque excitare ibidem valeat; id inter alios casus declarabunt sequentes. Sanguine haemorrhoidali restringente ad ventriculum et intestina, saepe obroriantur cardialgiae, colicæ. His similia incommoda euenire solent feminis, ex fluxus menstrui restrictione. Nonne affectus isti inde producti ad spasmos in-

18 DE SPASMORVM EXTERNORVM RATIONE

ternos pertinebunt? Nonne sanguis ibi coaceruatur,
quorsum restringitur? Nonne ibi fit congestio? Quam
nunc vero spasmus internum effecisse vides.

§. XXII.

Spasmi externi in caussam haemorrhagiarum degenerare possunt. Hi enim spasmi congestiones humorum in partibus internis perficere possunt (§. XVII.). Si igitur harum partium quaedam fuerint huius conditionis, ut aucta ad easdem humorum congettione, vasa sanguinea vel facile supra modum dilatentur circa sua orificia, vel etiam disrumpantur: tunc haemorrhagia omnino erit necesaria (per princip. Patholog.). Sed contineri huius indolis partes intra caua corporis nostri, quilibet mihi facile concedet. Ergo neque de haemorrhagia, quae a spasmis externis produci possit, dubitandum erit.

Reminiscor hic iuvenis cuiusdam, cui toties obo-
tiri solebat haemoptysis, quoties ille a pleuritide spu-
ria corripiebatur; haemorrhagia semper respondentे
spasmi magnitudini. Huc etiam referri poterit casus
ille in vita humana frequentissimus, quando scilicet ob
terrorem aliquem grauem, feminis incussum, mox illis
accidere solet aut haemorrhagia utri, aut abortus.
Sed pallor faciei, extremorum frigus, vasorum peripheriorum
sabita quasi euanescentia, tamquam consueta
terroris phaenomena, satis aperte docent, quod hic
non deficiat intensioris cuiusdam gradus spasmus peri-
pherius.

AD VISCERA INDEQVE ORIVNDA MORBORVM ETC. 19

phericus. Ut ideo hic quoque casus satis probare videatur, quanta sit spasmorum externorum vis ad haemorrhagias producendas.

§. XXIII.

Fieri etiam poterit, ut a spasmis externis accendantur inflammations in visceribus. Spasmi externi sufficiunt, ad congestiones humorum in visceribus producendas (§. XVII.). Docet vero Pathologia, a congestione versus partem aliquam directa, stases ibidem generari, hisque ita productis, ut sanguis a tergo cum impetu vrgear ad eadem loca affecta, inflammationem simul fieri. Exinde iam certum esse poterit de viscerum inflammatione a spasmis externis oriunda.

A pleurite spuria veram in iuuenibus producere esse, una cum peripneumonia, frequens docuit obseruatio.

§. XXIV.

Infarctus visceris alicuius originem suam spasmodis externis debere poterit. Nam ex eo visceris cuiusdam infarctus dijudicari solet, quando in ilius vasis fluida ad tantam copiam coaceruantur, ut haec valdopere distendantur, ipsumque viscus ideo in maius quoddam vo-

20. DE SPASMORVM EXTERNORVM RATIONE

lumen increuisse videatur (per princip. Patholog.). Posito igitur infarctu visceris alicuius, ponitur necessario humorum congestio, ad idem viscus facta. Quare etiam necesse erit, ut, quia ob spasmos externos ad viscera fieri possunt congesiones, ibidem quoque suboriantur infarctus.

Innotuit mihi exemplum virginis cuiusdam, alias sanae, subito tamen primum conuulsae a terrore. Conuulso facta iam erat periodica, atque per annos durauerat. Prodibant successu temporis signa admodum manifesta infarctus, in liene et hepate obuii, de tempore in tempus increscentis, tandemque in scirrum degenerantis.

§. XXV.

Scirri...
Viscerum scirri ortum suum tribuere poterunt spasmis externis. Scirri, seu tumores indurati, facile oriuntur in visceribus ex congestione humorum, ibidem producta; si imprimis massa humorum spissa, aut iam inueteratus fuerit visceris infarctus, aut inflammatio visceris in scirrum transfierit (per princip. Patholog.). Quia vero eiusti conditions in casu propositionis obtinere possunt (§§. XVII, XXIII et XXIV.): nullum ergo dubium restabit de scirrorum ortu in visceribus, derivando a spasmis externis.

Quam saepem etiam contingere solet, teste experientia, vt asthma, spasticum, aut aliarum partium externarum rheumaticas affectiones, tandem sequantur topi pulmonum.

§. XXVI.

§. XXVI.

Quum morbi illi viscerum, de quibus iam constat, Consectarium.
quod a spasmis externis produci queant (§§. XXI. XXII. XXIII.
XXIV et XXV.), symptomata sua habeant, gradu et numero
inter se differentia; adeo, ut pro diuersitate aegrorum, idem
morbus in uno maior esse debatur, minor in alio (per princip.
Patholog.): sequitur ideoque, necessum fore, ut ille
morbi quantitatem, obuii in huiusmodi casib.
accurate intelligere conetur, qui possi-
biles hic morborum complicationes recte
cognoscere velit.

§. XXVII.

Quia ratio spasmorum externorum ad viscera complexu Consectarium.
mutationum, quae ab illis ad haec redire possunt, absolvitur:
de ista iam ratione patebit ex antea dictis.
Quem in finem relegenda erunt loca dissertationis a §. XII. vf-
que ad §. XXVI.

§. XXVIII.

Simul etiam ex iisdem, quae ad (§. anteced.) citantur, Consectarium.
locis constare poterit de morborum complicatione,

quae in casu eodem oriri poterit, ita iam consideranda, vt illa componatur vel ex chronicis et acutis, vel ex meris chronicis; atque vltius determinanda, pro conditione casus in specie.

§. XXIX.

Scholion
generale.

Quamvis igitur de parte argumenti theoretica nunc satis disputatum esse videatur, ita, vt iam iunctio posset partis practicae explicatio: noui incongruum tamen erit his quae-
dam adhuc addere, quibus unum vel alterum doctrinae huius momentum magis illustretur. Annotatum iam est in §. VI. de causis spasmorum externorum, quod illae raro solitariae sint, sed potius ex pluribus compositae simul existere soleant; immo etiam illarum altera alteram magnitudine supererit. Vnde omnino necesse erit, vt tum spasmi externi maiores sint, producturi effectus sibi accommodatos, adeoque etiam morbos viscerum maioris gradus. Sed et alia adhuc ratio profabit, cur una vel altera harum causarum, licet sigillatim existeret in corpore, ci-
tius tamen morbum aliquem certae speciei in visceribus produ-
ceret; producto prius spasmus externo. Exempli loco plethora magis respondebit inflammationibus, infarctui, humorum spissitudo scirrhis viscerum efficiendis; hinc etiam tales morbi

cirius

AD VISCERA INDEQVE ORIVNDA MORBORVM ETC. 23

citius producentur, producto ab iisdem caussis spasmō externo. Atque eodem modo se res vterius habebit cum reliquis eiusdem naturae caussis. Si id etiam intelligēre velis, cur ab his in uno istud, in alio autem aliud magis viscus afficiatur: tunc te oportebit, hic alia, quae ob hanc rem in Pathologicis traduntur principia, in subsidium vocare. Quorsum prae reliquias exempli caussa pertinebunt morbi praegressi, aetas. Sic enim tibi facile cognoscere licebit, cur in iuene, tamquam ad congestiones pectoris proclivi, pulmones magis afficiantur, spasmodis exerenis in ipso subortis; cur inde in alio licet vel hepar potius affligatur, qui quondam ex uno horum viscerum sese male habebat? Atque ita vterius progredi licebit. Quando etiam de complicatione morborum casus, hucusque tractati, dicitur, quod illam quoque ingredi possint morbi acuti, ad chronicos accedentes (§. anteced.): tunc id quidem de inflammationibus viscerum praecipue intelligentērum erit, quas sine dubio ad morbos acutos pertinere mihi concedes; ita tamen, ne ideo hic excludantur morbi alii acuti interdum possibles. Saepius enim contingit, id copiosius explicante Pathologia, ut in corporibus cacochymicis, quibus ex aliis plane diuerfis caussis febris quaedam oboritur, haec quasi ex improviso naturam morbi acuti maligni induat. Quibus etiam simile quid hoc loco accidere potest; dum partim cacochymia ad spasmorum exterorum caussas referri potest, partim etiam corpus valdopere

fe-

febrif, visceribus inflammatis. Ut ne id quidem hic praetermissum esse videatur, quod a transpiratione suppressa febris catarrhalis nonnumquam admodum acuta dependat: cuius ideoque ortum hic plane negare non conueniet (§. XIII). Symptomatum denique quorundam incrementa ad complicationes morborum multum valere, fusius in Pathologia docetur. Cuius adeoque rei consideratio hic locum habere debet (§. XXVI). Nam concipe tibi grauia doloris symptomata hic etiam concurrere (§. VIII), vt lipothymia, conuulsio, febris? Quae, dum oriae iam complicationi accedunt, illam proh dolor! et acerbitate, et numero morborum augebunt. Tandem quod ad solutionem subortae in casu nostro complicationis attinet: illam quoque, familiariter tibi redditis veris Pathologiae principiis, haud difficulter perspicias. Optime id perficietur, facta singulorum morborum, ad complicationem accendentium, reductione, ad sua genera et species. Nam tunc faciliore opera cognosces, in quo singuli complicationis praesentis morbi ratione solutionis suae inter se conueniant, in quo discrepant; an ideo solutio vnius morbi alterius solutioni impedimento fieri possit, nec ne? Singula enim haec momenta paullo accuratius illum perpendere oportebit, qui animum induxit suum, sibi excitare notionem prorsus distinctam natae morborum in casu complicationis. Sed iam transcendendum erit ad partem argumenti eiusdem practicam.

PARS

PARS ARGVMENTI PRACTICA.

§. XXX.

In quacumque morborum complicatione duo aut plures morbi idiopathici occurrere debent, quorum quilibet propria sibi symptomata habet; atque haec saepius erunt ita comparata, ut ad quemuis morbum idiopathicum, in complicatione obuium, referri possint: quo facto, eiusmodi symptomata in morbo isto complicato, praे aliis gradu acerbitatis eminebunt (per principi Patholog.) Quum vero Therapia praecipiat, ut, sanaturus morbum quedam in corpore humano, ea remedia adhibeat, quae morbo idiopathicō, huiusque symptomatibus vehementer exacerbatis, accommodatissima sunt; siquidem hac ratione totus morbus vel tollitur, vel, si hoc ob illius naturam fieri nequit, imminuitur: hinc etiam in quoouis morbo complicato, vt pote ex duobus aut pluribus morbis idiopathicis constante, idem probe obseruandum erit. Ergo, cognita morbi complicati specie in casu praesente, id iam agat Therapeuta, ut remediis constanter utatur, quae singulis morbis idiopathicis, in complicatione existentibus, illorumque symptomatibus exacerbatis quam maxime respondere, certo constitut. Quandoquidem vero contingere solet,

D

vt

vt ob qualitatem morborum idiopathicorum, in complicatione aliqua obuersantium, necessario oriatur collisio regularum practicarum. Quibus igitur in casibus facienda erunt exceptiones, ratione conformes. **Quod si etiam in complicatione morborum, orta in casu impraesentiarum disputato, eiusmodi quid euenerit, vt collisiones ibidem necessariae fiant: tunc in sanando ita procedatur, vt, exceptione facta per morbum maiorem, iste prius remoueat; quo iam remoto, ad remouendos quoque alias morbos idiopathicos, in complicatione adhuc residuos, opera afferatur; numquam neglecta ratione illorum symptomatum, quae complicationi vel nouae producenda, vel priori magis confirmanda fauere videntur.**

Ratione et experientiae modo delineatam methodum mendendi inniti, eamque in se comprehendere momenta omnia, vnde regulas alias practicas specialiores, circa casum disputatum a medentibus obseruandas, haud difficulter eruire possint, quotquot in sanando ratione et experientia ducentur: id mihi sine dubio concedent viri, rerum medicorum bene gnati, atque in arte praestantes. Quorum applausum si mihi promeruisse videar: haud mediocriter gaudebo, nunc differendi sumpem facturus.

PRAE-

PRAESTANTISSIMO

IOANNI ZACHARIAE STRÜMPHlero

S. D.

D. ADAMVS NIETZKI

Quod nuper in laudem amicissimi nostri MOLZAHNII scripsisse, nisi circa illud festiuum ipsi tempus, quo praesertim scribendum erat, hoc in officii genere praestando, impeditus fuisset itinere quodam ineuitabili: idem etiam in te laudare potero, carissime STRÜMPHLERO; nunc meritis TVIS epistolam inscripturus. Non scolis, sed usibus vitae humanae adiscendam esse medicinam, prisa gens medicorum contendebat. Atque hanc sententiam cum vero admodum conuenire ratio et experientia probant. Qui enim meritis subtilitatibus delectantur, atque his abundanter imbuti, se totam artem comprehensisse existimant: illi plerunque aegris plus nocuisse, quam proficisse visi sunt, ad sanationem arcessiti. E contrario medicina veri nominis id seruat, eo solum delectatur, idque magis percolit, quod utile est vitae humanae atque proficuum. Quum TV vero, praestantissime CANDIDATE, per omne tempus academicum curae constanter habueris, ut id omne piae reliquis perdisceres, qua ars salutaris generi humano vere prodest; huic studio semper adiuncta morum integritate: haberem nunc fertiliissimam occasionem, te quam amplissime laudandi exornandique, qui virtute ista mibi multipliciter innotuisti. Sed tam amicitiae nostrae, quam modestiae TVAE ratio id fieri prohibet. Quare TIBI potius nunc ex animo gratulabor de cursu academico tam feliciter absoluio, et Doctoris dignitate, in te propediem ex merito conferenda. Faxit DEVS T.O.M. vi ista honoris acquisitio TIBI, ornatissimae familiae TVAE, tandemque bono publico fauste fortunateque cedat! De meo in te amore perenni certus, me quoque amare perge. Vale Dab. in Acad. Frider. XV. Cal. Aug. A. O. R. cclxix.



PRAESTANTISSIMO ET AMICISSIMO
STRVMPHLERO SVO
S. P. D.
IOANNES ALBERTVS AVGVSTVS LVCAE
MAGDEVRGENSIS.
OPPONENTS.

Data hac opportunitate non potui facere, quin amicitiae nostrae
integritatis monumentum quoddam ponerem. Amicitiae, quae
non recenter, non leuiter et temere est confitata, sed aliquod abhinc
annis virruitibus stabilita, constantiaque animorum confirmata. Be-
rolini iam per triennium nos mutuo amauimus; quum, iisdem stu-
diis incumbentes, iisdem praecceptoribus vrentes, alter alteri assi-
ditutatis incitamento esset. Hic locorum mihi iterum opportune
congit, te talem, quamlibet reliqueram, inuenire, eodemque modo
consuetudine tua iucundissima vti. Campus nunc mihi amplissi-
mus pateret in laudes tuas excurrere, nisi timendum mihi esset, ne
modestiam tuam violarem. Et virtutibus tuis ne quidem opus est
aliena laude. Quem enim fugit, te semper virum bonum et praef-
stantem praebeuisse? Praetereaque specimen tuum elegantissimum
eruditioinis tuae optimum praeconium esse potest. Accipe igitur
honores doctoralis, quibus mos ornaberis. De iis tibi ex animo
gratulor. Abi, quo virtus Tua te vocat. Fruere praestantiae
tuae praemiis. Omnia, quae ages, feliciter age, et absens ami-
citiae nostrae haud infucatae memor esto! Viuas et floreas! Dab.
Hal. Sax, die XVII. Iul. M DCC LXII.

CAN-

CANDIDATO PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

AMICO SVAVISSIMO

S. D. P.

FRIDERIC. GEBHARD. THEODOR. GÖNNER

BEROLINAS.

OPPONENTS.

Tenera animi mei affectio, quam semper erga te sensi, approxinante die, quo summos in Medicina honores impetraturus es, tam dulces laetitiae emotiones excitauit, ut non possum, quin tibi eas per litteras significem. Eas solas tibi declaro, non in amplas tuae doctrinae laudes excurrens. Incertus enim, an satis iustus & rectus eius aestimator sim, praecceptorum communis rarae eruditionis, & eximiae probitatis viro id relinquuo. Gratulor tibi de laurea, quam mox coronaberis, votaque pro tua salute atque felicitate ardenter suscipio. Deseris me! Quam aegre feram absentiam tuam! Deficiet mihi tui discendi ardoris exemplum, quod me ad industria-
m incitabat. Desiderabo otia iucunda, quibus mens nostra a studiis revocata oblectabatur. Sed abi! Vocat te parens senex, tibi iam ob-
nivis, teque amplexurus, senectutis fulcimentum. Vocat te aegro-
torum miseria. Vocat te tua fortuna, quibus mea commoda post-
ponere aequum est. Vnum vero te oro & obsecro, ut amicitiam,
iam Berolini inceptam, & hac musarum sede contextam, mihi ser-
ves; qua ut me dignum praebeam omnibus viribus annitar. Vale.
Dabam Halae ad Salam die xvii Iulii MDCCCLXII.



CAMPIDAGO TREVIRINORUM ADOLESCENTIA

AMICO SAVASSIMO

FRIDERIC GEBHARD THEODOR GÖTTNER

ERSTGEMASCH

OFTONENSIS

T
Tunc etiam mihi se gaudet dum puerus ait ex genit. quibus
tunduntur sibi deo, tunc in membra puerorum, vobis enim ex
tum ducere possimus omnino. Etiam in non duabus diuinis
tempore missarum gratiarum. Per hanc autem gratiam ut in aliis tunc
governare possimus exercitare. Iustitia cum in his figuris & legibus
civis servitio tunc. Procedendo conuenit iste studiorum &
civis servitio tunc. Procedendo conuenit iste studiorum &




Diss. med. Halle;
Med. Diss.,
1758-68.



SB

Rheo





DE
SPASMORVM EXTERNORVM
 RATIONE AD VISCERA INDEQVE
 ORIVNDA MORBORVM COMPLICATIONE.

PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

DOMINO

D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO

MED. ANAT. ET CHIRVRG. P. P. ORDINAR. ACADEM. CAESAR. NAT.

CVRIOS. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL. NEC NON REGIAR. BEROL.

SCIENT. ET PARIS. CHIRVRGOR. SODALI

PATRONO FAVTORE ET PRAECEPTORE
 OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDO

PRO

G R A D V D O C T O R I S

SOLLEMNITER CONSEQUENDO

DIE XX. IVLII C^{is} CC LXII.

M. L. Q. S.

PVBЛИCE DISSERET

AVCTOR

IOANNES ZACHARIAS STRUMPHLER
 TANGERVNDA PALAEOMARCHICVS.

HALAE AD SALAM

S T A N N O S C H N E I D E R I A N O.

